



1 serios 110 H  
D 3

00  
A  
01





34.

כ"ה

DISSERTATIONEM HISTORICAM  
De  
PRISCIS  
ROMANORUM  
ÆDILIBUS,

*indultu*  
*Inclutæ Facultatis Philosophicæ*

in  
ALMA LIPSIENSI

d. 28. Maji Anno M DC XCII.

H. L. Q. C.

publicè ventilandam proponunt

PRÆSES

M. JOH. AUGUSTUS OLEARIUS,  
Hal. Sax.

&  
RESPONDENS

GODOFREDUS Kraul / Hal. Sax.

LITERIS GOEZIANIS.

*Excellenti*  
*Illustri Principi Augusto Ferdinando*



V I R I S  
*Perillustri, Generosissimis, Prænobilissi-  
mis, Summe Reverendis; atque Excellen-  
tissimis,*

SERENISS. ac POTENTISS.  
ELECTOR. BRANDEBURG.  
in Ducatu Magdeburgensi Regiminis  
Secularis & Ecclesiastici

DNN.  
CANCELLARIO  
ET  
CONSILIARIIS  
LONGE SPLENDIDISSIMIS,


*Dnn. Mecænatibus, Patronis, Evergetis  
ac Promotoribus suis quam Maximis,*

Leves hasce vitæ Academicæ Primitias in grati animi tesseram &  
ulteriorem studiorum suorum commendationem  
devotissima mente,

*offert*

Gottfried Kraus / Hall. Sax.




 Agna est in hac urbe *Ædili-*  
*um dignitas, nec minor illo-*  
*rum in ædificiis publicis aut*  
*exstruendis aut conservandis,*  
*provehendisque aliis Reipublicæ commo-*  
*dis cura. Meritò hinc proximâ hyeme*  
*dolebat civitas, morte sibi ereptum Ædi-*  
*lem per annos plurimos insigniter meri-*  
*tum. In cujus laudes & memoriam cum*  
*ex antiqua Romanorum Ædilitate di-*  
*cendo scribendove ansam capere nonnul-*  
*los animadverteremus, digna illicò res*  
*nobis videbatur, quam peculiari Dissert-*  
*tatione discutiendam tempore opportu-*  
*no susciperemus. Nunc igitur id operis*  
*aggressi, spectandos in medium produci-*  
*mus PRISCOS ROMANORUM Æ-*  
*DILES; utque eos benevolis Spectatores*  
*oculis intueri dignentur, quæsumus. De-*  
*us autem præsentissimo auxilio suo ac*  
*gratiâ his conatibus nostris assistat!*

§. I.

UT ab ovo rem ordiamur, nomen suum *Ædiles* non videntur accepisse ab *adeundo*, uti quidem autumat *Festus*, hanc adducens causam, quia facilis ad eos plebi aditus esset; quam *Festi* sententiam *Lipsius Tract. de Magistr. Vet. Pop. Rom. cap. 12. p. m. 1448.* non immeritò rejicit. Sed juxta plurimorum calculum nomen *Ædiles* sortiti sunt ab *ædibus*, quarum cura illis incumberebat, notante *Varrone lib. 4. de L.L.* Equidem & hanc opinionem improbat *Lipsius*, cum id nomen tum temporis non Romæ natum, sed, ut pleraque, è Latio sit traductum, neque ex re, sed ab exemplis potiùs impositum; observatque, jam olim *Ædilium Magistratus* in Latinis oppidis (*l. 30. ff. Locati.*) fuisse, qui *Ædiles* deinde, in historiis pariter atque lapidibus, *quinquennales* cognominati sint. Sed quia *l. c.* non planè abnuit, primò eos ob *ædium sacrarum privatarumque*, quam gerebant, curam illic denominatos fuisse, satis causæ non videmus, cur iis ab *ædibus* nomen impositum inficiemur.

§. II.

Et hoc quidem nomine non *Ædituos*, seu *Æditimos* intelligimus, qui apud Gentiles etiam sacrarum *ædium* custodes fuerunt, teste *Adr. Turneb. Advers. lib. 14. cap. 12. νεωκόροι* seu *ιεροφύλακες* dicti, quales *Varroni* quoque audiunt *Ædiles*. Vid. *Salmas. ad Solin. pag. 1087.* Hinc *Ædilitas* in *Charta Folcuini Episc. Tervanensis*,  
Anno

Anno Ludov. Reg. 26. apud *Folcardum* in *lib. 1. Miracul. Bertini cap. 7. Ædilitatem seu custodiam ipsius Basilica &c.* Et in alia *Lietberti Episc. Camerac. A. C. 1066. in Histor. Camerac. Job. Carpentarii: Ædilitatem verò & Prapositionem, quæ mei juris erant, huic Ecclesie contuli:* (citante *Hofmann. Lex. Univers. Contin. Tom. 1. pag. 38.*) Custodis Templi munus ac dignitas est in Collegiis Canonorum in Ecclesia Romana. *Car. du Fresne Glossar.* Sed *Ædilium* nomine hic nobis venit Romanorum Magistratus quidam, primus ille ad capeffenda denique maximorum honorum fastigia gradus.

§. III.

Horum *Ædilium* quidam duo faciunt genera, eosdemq; dispefcunt cum *Prevotio Commentar. de Magistrat. Populi Rom. cap. 11. pag. 154.* in *Plebejos & Patritios*: vel cum *Raphaële Volaterrano Comm. lib. 29. p. m. 1103. Jano Guilielmo de Magistr. Pop. Rom. cap. 11. p. m. 344.* atque *Dieterico Antiquitat. Rom. cap. 18. pag. 48.* in *Plebejos & Curules*. Alii verò cum *Rosino Antiquit. Rom. lib. 7. cap. 24.* *Plebejis & Curulibus* tanquam peculiaries quosdam adjungunt *Cereales*, adeoque tres *Ædilium* Romanorum ordines constituunt.

§. IV.

*Ædiles Plebis* inde cognominati, quòd ex *Plebe* in eam dignitatem eveherentur, & *Plebis* proprii essent magistratus. Ejusmodi *Ædiles Plebis* ab initio duo

A 3

tantum,



tantum, (non quatuor, quod putat *Pompon. Latus de Magistrat. Rom. lib. 1. cap. 20.*) electi esse feruntur, Anno ab U. C. 271. juxta *Lipsii* calculum, vel secundum *Rosinum*, A. 260. Sp. Cassio Vicellino II. A. Posthumio Aurunco Coss. quo anno etiam primi Tribuni Plebis. Cùm enim, in ita inter Patres & Plebem post diurnas lites concordia, Plebs è monte sacro, quò secesserat antea, in Urbem iterum se contulisset, impetrassetque à Senatu, ut de medio Plebis deligere quotannis sibi liceret Tribunos Plebis: alios etiam duos è Plebe quotannis creandos sibi expetierunt, subministraturos Tribunis, quicquid opus esset, & lites nonnullas, Tribunorum permisso, dirempturos, ædiumque sacrarum, & aliorum locorum publicorum atque annonæ curam habituros. Huic petitioni cùm Senatus annuisset, designarunt duos, quos tum ministros & socios Tribunorum ac judices, postmodum autem ab officiorum uno Ædiles salutabant, teste *Dionys. Halicarnass. Antiq. Rom. lib. 6. p. m. 411.*

§. V.

Ab Ædilibus Plebis jam quoque ad Curules progressi consultum erit. *Alex. ab Alex. quidem Genial. Dier. lib. 4. cap. 4. p. m. 908.* Patritios illis priores fuisse, dicit; quem verò locupletissimè errasse, judicat *Mercerus in notis ad eund. ex loco Dionysii supra allegato observans, Aediles Plebis longè ante Curules originem duxisse, ac eodem ferè tempore, quo creari cœperint*





perint Tribuni Plebis, creatos; Curules verò circiter 127. annis post Plebejos fuisse designatos. Quam *Merceri* sententiam *Lipsius* etiam probat, *Tract. suo de Magistrat. Vet. Pop. Rom. cap. 12. p. m. 1448.* asserens, quòd Plebejis *Ædilibus* Anno U. C. 388. è Patribus duo adjecti fuerint.

§. VI.

*Ædiles Curules* inde dicti, quòd sellâ *Curuli* (quæ, *Budeo* oblervante, gestatorium & gestatoria sella dicta fuit) gestari solebant. *Curulem* autem sellam à *curru* fuisse denominatam, vulgi opinio est: vid. *Prevot. de Magistrat. Rom. cap. 11. pag. 155.* Sed derivationi huic scripturam & dimensionem repugnare, veriusque adeò à *Curibus* olim dictam censet *Lipsius loc. cit.* Erat autem conspicua admodum ejusmodi Sella: hinc *Sil. l. 8. Punic.*

*Hæc altis eboris decoravit honore Curules.*

Et *Lucanus lib. 5.*

*Lentulus è celsa sublimis sede profatur.*

Non equidem quia sellæ ipsæ amplissimæ, sed quia adjuncti gradus plures; quod innuit *Cassiodor. lib. 6. Epist. Sellam Curulem*, inquit, *pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascendit.* Pretiosissimo ebore superbiisse sellas istas, tum ex Poëta *Venusino*, cui passim celebratur *Curule ebur*, tum ex aliis abundè constat. Hinc & Græci vertunt ἐλεφάντινου θρόνου aut δίφρον. *Cælatum & sculptum id ebur fuisse, ostendit Ovid. Eleg. 9. lib. 4. de Pont.*

*Signa*



*Signa quoque in sella nossem formata Curuli,  
Et totum Numida sculptile dentis opus.*

Aliàs ejus forma in nummis crebrò expressa cernitur, nec dissimilis fellis iis, quæ Hispanicæ vocari, usurparique in Aulis solent. Vid. *Lips. l. c.* Autor istiusmodi sellæ apud Romanos Tarquinius Priscus, origo autem ab Hetruscis fuit, teste *Liv. lib. 1. cap. 8. p. m. 8.* Quæ sella perpetuò eminentis alicujus indicium fuit potestatis, & præter *Ædiles Curules* non nisi *Dictatori*, *Consuli*, *Censori* & *Prætori* competebat. Qua ex re eò splendidior omnium oculis apparebat *Ædilium Curulium* dignitas, ita ut & hoc nomine appellari meruerit *Ædilitas major*, quam vocat *Plutarch. in Mario.*

§. VII.

De origine horum *Curulium* pauca hæc veniunt observanda. Scilicet cùm, sepositis maximis illis, quæ *Patres* & *Plebem* latis agitaverant, discordiis, reddita ex omnium voto pax esset, & *Senatus Ludos* in ejus honorem instituendos, solennesque dies in *Fastis* referendos mandaret, negarentque se id esse facturos *Ædiles Plebis*, conclamarunt *Patricii juvenes*, se id honoris *Deum immortalium* causâ libenter acturos, ut *Ædiles* fierent. Quibus cùm ab universis gratiæ actæ essent, factum *Senatusconsultum*, ut duos viros *Ædiles* ex *Patribus Dictator Populum* rogaret. Primi igitur *Ædiles Curules* creati sunt Anno *U. C. 386.* juxta *Rosinum l. c. cap. 25. pag. 1142.* aut secundum *Lipsii* calculum

lum A. 388. Cn. Quintius Capitolinus & P. Corn. Scipio, L. Sextio, L. Aemilio Mamerco Coss. Vid. *Liv. lib. 6. cap. 42. p. m. 254. & lib. 7. cap. 1. p. m. 255.*

§. VIII.

Aediles *Cereales* autem inde appellati, quòd demandata eis fuerit cura *Cereris*, h. e. frumenti. Nam frugum inventrix & cultus terræ creditur Ceres. De qua re *Virgil. lib. 1. Georg.*

*Prima Ceres ferro mortales vertere terram  
Instituit, cum jam glandes atque arbuta sacra  
Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.*

Per quam *Cerem* plurimi indicari statuunt terram, frugum omnium genitricem; unde *Eurip. in Phœniss.*

Δαμάτῃς θεᾷ ἀπάντων  
Ἄνασσα ἀπάντων --  
των γὰρ τροφός.

§. IX.

Hi *Cereales* *Julium Cæsarem* agnoscunt autorem, atque ex *Patriciis* (quanquam *Plebejos* hos fuisse asserat *Ezech. Spanhem. de præstantia & usu Numism. Antiq. Dissert. 6. pag. 548.*) electi fuerunt Anno ab *U. C.* 709. Cujus mentionem facit *Sueton. in Jul.* quem *Prætorum*, *Aedilium*, *Quæstorum*, minorum etiam magistratum numerum ampliassè scribit. Paulò clariùs id eloquitur *Dio. lib. 43. p. m. 239.* Eodem anno primùm, inquit, *sex Aediles* sunt constituti, duo *Patricii*, qui *Cereris Aediles* vocarentur, quatuor *Plebeji*. Isque

B

mos



mos ad nostram usque aetatem exinde perductus est &c.  
Testem etiam Pomponium J.C. ff. de origine juris adducit  
Rosinus l.c. pag. 1143. Conf. Lipsium l.c. pag. 1449. &  
Alex. ab Alex. l.c. p.m. 908. item Jan. Gulielm. de Magist. Pop. Rom. cap. 11.

§. X.

Varia autem atque distincta Aedilium fuisse officia deprehendimus. Et primum quidem juxta Dionys. Antiq. Rom. lib. 6. p. m. 411. fuit, Tribunus Plebis ministrare, & de levibus quibusdam causis & litibus, ipsorum permisso, judicare. Sic juxta Rosinum l.c. cap. 24. pag. 1141. Aedilibus incubuit, iis, qui plus, quam lege definitum erat, agri possiderent, diem dicere. Quam in rem Livius l. 10. cap. 13. p. m. 368. Eo, inquit, anno plerisque dies dicta ab Aedilibus, quia plus, quam quod lege finitum erat, agri possiderent: nec quisquam ferme est purgatus, vinculumque ingens immodica cupiditatis injectum est. Aedilium erat, matronas probri accusare. Sic enim Liv. lib. 25. cap. 2. p. m. 551. L. Vilius Tappulus & M. Fundanius Fundulus, Aediles Plebeji, aliquot matronas apud populum probri accusarunt: quasdam ex eis damnatas in exilium egerunt. Aedilium erat foeneratores coercere. Hinc idem Livius lib. 7. cap. 28. p. m. 275. Judicia, inquit, eo anno Populi Romani tristitia in foeneratores facta, quibus ab Aedilibus dicta dies esset, traduntur. Aedilium erat, popinas & ganeata obsonia inhibere. Quo spectant verba Sueton. in Tiberio cap.

cap. 34. Annonamque macelli, Senatûs arbitratu, quot-  
annis temperandam: dato Aedilibus negotio, popinas  
ganeasque usque eò inhibendi, ut ne opera quidem pisto-  
ria proponi venalia sinerent. Aedilium erat in facta  
dictaque incivilia & improba animadvertere, mul-  
ctamque indicere. Sic Capito Attejus in Commentar.  
de Judiciis Publicis, & ex eo Gellius lib. 10. cap. 6. de Clau-  
dia, Appii Cœci filia referunt, eam, cùm à Ludis, quos  
spectaverat, domum veheretur, & præ turba carpen-  
tum difficiliùs egrederetur, irâ commotam dixisse:  
*Utinam reviviscat frater, aliamque classem in Siciliam  
ducat, atque istam multitudinem perditum eat, que me  
malè nunc miseram convexavit.* Ob hæc mulieris ver-  
ba tam improba ac tam incivilia C. Fundanius & Tib.  
Sempronius Aedil. mulctam dixerunt ei æris gravis 25.  
millia. Idem Florus Epitom. Livii 19. Valerius lib. 8.  
cap. 1. & Sueton: in Tiberio cap. 2. tradunt.

§. XI.

Ad Aediles quoque spectabat, quod vel ipsum eo-  
rum nomen innuit, ut ædificia publica privataque fie-  
rent, curare, utque Tempia, vid. Dionys. Halicarn. lib.  
6. Cic. 1. in Verr. Act. Theatra, vid. Andr. Dominic. Floc-  
cum (huic enim libros illos, qui vulgò L. Fenestellæ assi-  
gnantur, vindicat Aegid. VVitfius de Potest. Rom. lib.  
2. cap. 13. Stadia, Fora, vid. Sueton in Cesare cap. 10. &  
Beroald. in eund. Porticus, Curix, & Basilicæ atque  
Mœnia magnificis operibus reficerentur & ornaren-

tur. Conf. *Alex. ab Alex. l. c.* Ad quam ædificiorum  
conservationem incendiorum quoque cura pertinet.  
Cujus muneris Augustus autor esse videtur ex *Dion. lib.*  
*54. Vid. Lips. l. c. cap. 13. p. m. 1449.*

§. XII.

Ædiles prætereà tenebantur prospicere, ut cloacæ  
publicæ, aquæ ductus, & cætera ædificia, lauta, munda,  
integra & expedita servarentur. Sic de Balneis *Seneca*  
*Epist. 86. p. m. 342.* *Dii boni, inquit, quàm jurabat ista*  
*balnea intrare obscura & gregali tectorio inducta, que*  
*scires Catonem tibi Ædilem, aut Fab. Max. aut ex Cor-*  
*neliis aliquem manu suâ temperasse.* Et alibi non mi-  
nùs scitè: *Invenies voluptatem circa balnea & popinas,*  
*& loca Ædilem metuentia.* Apud *Plautum in Stich.* le-  
gimus, Parasitum servo imperanti: *Cape illas scopas &*  
*hoc converre & c.* respondisse: *Sine suffragio populi Æ-*  
*dilitatem hic quidem gerit.*

§. XIII.

Porro Ædilium officium erat annonæ & copiæ ci-  
cibariorum curam gerere; vid. *Dionys. Halicarn. l. 6. p.*  
*m. 411. & Apulejum lib. 1. Metamorph. p. m. 16.* convehe-  
re frumentum & oleum, ne urbs penuriâ annonæ aut  
caritate laboraret, utque commeatus, & quæ bello usui  
forent, in castra deferrentur, curare. Hinc *Liv. lib. 26.*  
*cap. 10. p. m. 593.* *Fulvius Flaccus inter Exquilinam Col-*  
*linamque portam posuit castra: Ædiles Plebis commea-*  
*tum eò comportarunt.* Ideò *Manius Martius & Tre-*  
*blius,*

buis, Ædiles Plebis, quòd in summa annonæ caritate frumentum populo in modios assibus dedere, commatusque invexere, statuas in Capitolio & Palatio cum honorum titulis meruerunt. Vid. *Plin. lib. 18. cap. 3.* Et Marcus Sejus, Ædilis Curulis, quòd olei denas libras singulis assibus præstitit, celebri memoriâ dignus fuit, ut idem *Plinius lib. 15. cap. 1.* attestatur.

§. XIV.

Ad Ædiles quoque pertinebat, causas & lites redhibitionum dirimere, & si servum quispiam aut jumentum morboſum aut vitioſum pro integro sanoque vendidisset, edicto horum Ædilium emptori succurrebatur; ac quicquid rerum vitioſarum pro sincero, fractumque pro integro usquam venisset, edicto Ædilitio redhiberi solebat. Vid. *Rosin. l. c. pag. 1143.* ut & *Heinr. Bebel. de Magistrat. Rom. p. m. 309.* Quòd & spectare videtur, quòd iniqua corrigere pondera, & menſuras minores confringere iisdem incubuerit. Qua quidem in re haud multum differebant à Græcorum & Ætolorum Agoranomis, quorum edictis vendentium & eumentium versutia compeſcebatur. Vid. *Sam. Petitem Comm. in LL. Attic. lib. 5. tit. 5.*

§. XV.

Ædilium munus etiam versabatur circa Ludos instituendos. Vid. *Heinr. Bebel. l. c.* Quod inter alia *Cic. Act. 7. in Verrem* de se ipſo testatur his verbis: *Nunc sum designatus Ædilis, habeo rationem, quid à Populo Ro-*

mano acceperim. Mibi Ludos sanctissimos maxima cum cura & ceremonia Cereri, Libero Liberæque faciendos: mibi Floram matrem Populo Plebique Romana Ludorum celebritate placandam: mibi Ludos antiquissimos, qui primùm Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciendos: mibi sacrarum ædium procurationem: mibi totam urbem tuendam esse commissam. Petita sanè ex Ludis in nummis antiquis symbola, quibus Ædilium dignitas adumbraretur. Curulis Ædilitas non solùm Tigride, Baccho, Thyrso, aliisque Liberalium symbolis designata, sed etiam venationis, quæ vulgò cum Ludis edita, monumentis; ceu docet *Ezech. Spanhemius de præstantia & usu Numismatum Antiquorum Dissert. 6. pag. 548.* Quemadmodum & suprâ jam animadvertimus, primos Ædiles Curules à Senatu Ludorum faciendorum gratiâ designatos esse. Ab hac Ludorum cura Ædiles Ludorum præfectos fuisse dictos, testatur *Lazius Commentar. Reipub. Rom. lib. 10. cap. 1. p. m. 819.*

§. XVI.

Ludos autem istos, quorum cura Ædilibus commissa, duplicis generis fuisseprehendimus. Alii siquidem Romani, alii autem Plebeji dicti; quorum illi ab Ædilibus Curulibus, hi verò à Plebejis curabantur. Quare *Livius lib. 27 cap. 38. p. m. 658.* scribit: *Ludos Romanos semel instauratos ab Ædilibus Curulibus, Q. Metel-*



Metello, & C. Servilio, & Plebejis Ludis biduum in-  
stauratum à Q. Manlio, & M. Cacilio Metello, Ædili-  
bus Plebis. Ex lib. 28. cap. 10. p. m. 677. Ludi Romani  
ter toti instaurati ab Ædilibus Curulibus, Cn. Servilio  
Capione, Ser. Cornelio Lentulo. Item Ludi Plebeji se-  
mel toti instaurati ab Ædilibus Plebis, M. Pomponio  
Mathone, & Q. Manlio Thurino. Ex lib. 31. cap. 4. pag.  
m. 773. sq. Ludi Romani Scenici eo anno magnificè appa-  
ratèque facti ab Ædilibus Curulibus, L. Valerio Flacco,  
& T. Quintio Flaminio, biduum instaurati sunt. Pau-  
cisque interjectis: Plebeji Ludi ter toti instaurati ab  
Ædilibus Plebis, L. Apustio Fullone, & Q. Minutio  
Ruso.

§. XVII.

De sumptibus in Ludos istos impendendis non  
consentiunt autores. Quidam enim modò publicâ,  
modò privatâ impensâ eisdem factos arbitrantur, cum  
quibus *Alex. ab Alex. l. c. p. m. 915.* facit. Quidam cum  
*Rosino, Flocco, Prevotio ll. cc.* in eam descendunt sen-  
tentiam, Ædilium quemlibet suâ impensâ pro modo  
patrimonii ac dignitatis suæ eisdem celebrasse.

§. XVIII.

Quamvis autem inficias ire nolimus, publicâ quan-  
doque impensâ aut mulctatitiâ pecuniâ Ludos institu-  
tos fuisse; siquidem posterius evidenter patet ex *Livio*,  
qui *lib. 10. cap. 23. p. m. 376.* docet, ab Ædilibus Plebejis,  
L. Æmilio Peto & C. Fulvio Curvo, ex mulctatitia pe-  
cunia,

penia, quam exegerint pecuariis damnatis, Ludos factos: Vid. & Jan. Guliel. loc. cit. longè frequentius tamen propriis impensis ab Aedilibus procuratos fuisse Ludos, crediderimus. Non dividiæ erit, duorum Aedilium, qui suis sumptibus Ludos ediderunt, in medium afferre exempla. Exhibent autem illa duæ Inscriptiones antiquæ apud Gruterum in Vol. Inscript. his verbis expressæ, & altera quidem pag. CCCCIV. n. 2.

L. EGNATIO. JUVENTO. PATRI. L. EGNATI. POLLIONIS. RUFII. HONORATI. EQUO. P. AB. IMPERATORIB. ANTONINO. ET. VERO. AUG. HIC. OBLITERATO. MUNERIS. SPECTACULO. IMPETRATA. EDITIONE. AB. INDULGENT. MAX. PRINCIPIS. DIEM. GLADIATORUM. ET. OMNEM. APPARATUM. PECUNIA. SUA. EDIDIT. COLONI. ET. INCOLÆ. PUTEOLAN. OB. MUNIFICENTIAM. EJUS. L. D. D. D.

Altera pag. CCCCLXXXIX. n. 12.

CN. VOESIO. CN. FIL. APRO. QUÆSTORI. AEDILI. II. VIRO. FLAMINI. DIVI. AUG. VI. VIRO. AUGUSTALI. CURATORI. ANNONÆ. TRIENNIO. CONTINUO. CURATORI. MUNERIS. PUBLICI. GLADIATORI. III. QUOD. IS. TEMPORE. HONORUM. CURARUMQUE. SUARUM. PLENISSIMO. MUNIFICENTIÆ. STUDIO. VOLUPTATIBUS. ET. UTILITATIBUS. POPULI. PLURIMA. CONTULERIT. LUDUM. ETIAM. GLADIATORIUM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO. SUA. PECUNIA. EXTRUCTUM. PUBLICE. OBTULERIT. CUIUS. MERITIS. POSTULANTE. POPULO. STATUAM. PUBLICE. PONI. PLACUIT. D. D. Hinc



Hinc multi, ut Ludorum sumptum vitarent, Aeditiam dignitatem detrectasse leguntur, præsertim, si qui non affluerent divitiis, aut Eucliones agerent; licet interdum non absque insigni detrimento: *Mamerco*, inquit *Tullius 2. Offic. p. m. 161. homini ditissimo, prætermisio Aeditatis Consulatus repulsam attulit*: additque, *Murænam*, qui Aedilis non fuerat, propterea Ludos in Prætura fecisse, ut à se suspicionem avaritiæ removeret, & sibi Populi Romani benevolentiam ac studium conciliaret.

§. XIX.

His in Ludis loca discernere, & ea cuilibet ordini pro dignitate assignare Aediles solebant. Hinc *Valer. Max. lib. 11.* scribit, *Attilium Seranum & L. Scribonium*, Aediles, Senatûs ac Plebis loca secrevisse. Actoribus etiam, qui cum applausu partes suas tuebantur, præmia, iis verò, qui omnium merebantur sibilum, pœnas decernebant. Ac quoties agenda essent Fabulæ, examini prius Aedilium veniebant submittendæ, ut docet *Lips. l. c. p. m. 1450.* In Ludis Floralibus item fabas, cicer, aliaque similia in vulgus emittebant, teste *Rosin. lib. 2. cap. 20. pag. 409.* Nam Ludis Floralibus semina spargebantur in populum, ut tellus velut munibus suis placaretur. Hinc *Persius Satyr. 5.*

---- Cicer ingere large  
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint  
Aprici meminisse senes.

C

§. XX.



§. XX.

Nec minùs funerum, & qui circa ea observari solebant, rituum cura penes Aediles fuit, ceu *Lipsius l. c. p. m. 1449.* ostendit ex *Ovid. lib. 6. Fast.*

*Adde, quòd Aedilis pompæ qui funeris irent Artifices tantùm jusserat esse decem.*

§. XXI.

In matrimonio contrahendo aut conservando suam quoque operam conferebant Aediles; quibus & scortationum & meretricum coërcitio quædam competeat, notante *Lipf. l. c. p. 1450.* qui idem *Comment. ad Corn. Tacit. Annal. lib. 2. pag. 1180.* asserit, Aedilibus curæ fuisse, nosse publica scorta, habere ea in tabulis & albo; & si quam vulgantem se extra eum numerum fuissent nacti, mulctare. Hinc *Livius lib. 10. cap. 31. p. m. 383.* Eo anno *Q. Fabius Gurges Consul filius* (is autem tunc Aedilis) *aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecuniâ mulctavit.* Sic jam supra §. 10. ex eodem *Livio* didicimus, *Villum Tappulum & M. Fundanium,* Aediles Plebejos, aliquot matronas in exilium egisse. Viros etiam ab Aedilibus in judicium hoc crimine deductos esse, testatur idem *Liv. lib. 8. cap. 22. p. m. 304.* scribens: *Data à M. Flavio visceratio. Erant, qui per speciem honorandæ parentis meritam mercedem populo solutam interpretarentur, quòd eum die dicta ab Aedilibus crimine stuprata matris familias absolvisset.*

§. XXII.

§. XXII.

In censendis scriptis pariter occupatos fuisse Aediles, ex *Rosin. lib. 7. cap. 25. pag. 1142.* liquet, ubi ex *Luc. Jo. Scopa in Collectan.* refert, legem Romæ fuisse latam, ne quis Romanorum quid scriberet, nisi prius ab Aedilibus Curulibus scribendi veniam impetrasset, cum illi, perpensis antea scriptoris viribus, pro ingenii capacitate ac doctrina componendi dedissent potestatem. Idem aliquo etiam modo colligi posse videtur ex decreto Senatûs apud *Tacit. Ann. lib. 4. cap. 35. p. m. 472. sq.* quo jubentur Aediles cremare Crenutii Cordi scripta. Et de Fabulis Scenicis jam supra §. 19. indicavimus.

§. XXIII.

Ad Aediles etiam spectabat, Plebiscita, imò Senatus consulta, ne pro Consulûm arbitrio supprimerentur, in Templo Cereris, aut alia æde sacra, sanctè recondere. Unde *Polybius lib. 3.* loquens de fœderibus Romanorum & Carthaginensium, *Hæc, inquit, cum ita sint, & in hodiernum diem tabulis aeneis inscripta conspiciantur in Templo Capitolini Jovis, ubi ab Aedilibus diligentissimè custodiuntur.* Quæ tamen postmodum Quæstoribus urbanis in arario asservanda tradita sunt; observante *Rosino l. c.*

§. XXIV.

Circa religionem Aedilium muneris erat dispicere, ne qui nisi Romani Dii patrio more colerentur, neve à vetustis ceremoniis decederent; edictisque Aedilitiis

cantum, ut Judæorum Ægyptiorumque sacra, ritus & ceremonia urbe exigerentur, teste *Alex. ab Alex. l. c. p. m. 911.* Conf. & *Jan. Gulielm. loc. cit.* Sic & sacrificiorum curam Ædilibus demandatam fuisse, satis clarè elucescit ex *Livio lib. 25. cap. 1. p. m. 551.* ubi Ædiles, inquit, à Senatu inculatos, quòd non prohibuissent externa quædam sacrificia, quæ in urbem invaserant. Quod è recentioribus scriptoribus quoque confirmat *Pompon. Latus de Magistrat. Rom. cap. 20.* sacrificiorum curam Ædilibus expressè assignans.

§. XXV.

Ex omnibus hisce officiorum generibus colligere facile est, quanta negotiorum Ædilibus incubuerit gravitas; cui adeò haud immeritò matura determinabatur ætas, quæ scilicet par esset oneriferundo; nec quisquam admittebatur temerè, nisi trigessimum septimum ætatis annum attigisset, ceu colligit *Manutius lib. Antiqq. de Legibus p. m. 51. aliique.* Unde ceu singulare quippiam memoriæque dignum commemoratur, L. Lucullum, cùm ante adultam fratris ætatem magistratus petere nollet, tantum gratia & favore valuisse, ut absens unà cum fratre Ædilis crearetur. Vid. *Plutarch. in Vita Luculli.*

§. XXVI.

Admitti autem ad Ædilitatem non poterant, qui patrem habebant superstitem, quod docet *Alex. ab Alex.*

*lex. l. c. p. m. 917.* sicut nec illi, qui scriptum facerent, ut ait *Liv. lib. 9. cap. 46. p. m. 358.* Propterea C. Flavius scriba, nisi jurasset, se scriptum non facturum (quod antea fecerat,) Ædilitati admotus minimè fuisset; quòd dignitati illi inconueniens forsitan id iudicarent Romani.

§. XXVII.

Cæterùm plura quandoque altioraque Ædiles sustinuisse munia, credibile est, præsertim quoties Colonisii tanquam magistratus imponerentur, ceu colligere licet ex *Reines. Var. Lect. lib. 3. pag. 592.* qui ex *Cic. 2. Agrar.* in Colonia quadam summos magistratus fuisse Ædiles, arguit *loc. cit. pag. 603.*

§. XXVIII.

Unde simul apparet, non Romæ tantùm, sed & in exteris provinciis Ædiliùm eminuisse magistratum. Quod etiam *Cic. lib. 2. ad Attic.* nos docet his verbis: *Sed planè Tribunus Plebis fieri cupit; quare cum in Senatu ageretur, fregi hominem, & instantiam reprehendi, qui Romæ Tribunatum Plebis peteret, cum in Sicilia Ædilitatem sæpe dixit asset.* Elucet id quoque ex *Liv. lib. 23. cap. 40. p. m. 508. sq.* Rem prætereà confirmant duæ vetustatis Romanæ Inscriptiones; quarum altera in Dacia:

PRI. ET PO. PANTHEO PP. ÆLIO URSO ET ANTONIANIS ÆDIL. COL. APUL. DICAVERUNT SEVERO ET IOVINIANO COS.

Altera Auxini in Italia:

L. PRÆSENTINA L. F. LEMPETO LATTIO SEVERO PRÆFECTO COH. IN AFR. C. R. EQ. JUDICI SELECTO EX V. DEC. P. AUXIMI PAT. COL. ÆDILI IIVIR ANCONÆ, URBIA L. F. MARCELLA FLAMINIA AUGUSTA MARITO OMNIBUS EXEMPLIS DE SE BENEMERITO.

Vid. *Lazium Comment. Reipub. Rom. lib. 2. cap. 15. pag. 278.* §. XXIX.

Abunde igitur ex recensitis hæctenus patet, quanti habita olim apud Romanos Aedilitia dignitas, utpote quæ propè illustrissimum habebat juventutis principatum, ut loquitur *Tiraquell. ad Alex. ab Alex. Genial. Dier. lib. 4. cap. 4. p. m. 917.* Imò in tantum honoris culmen Ædilitas provecta est, ut, Urbe aliquando peste afflictâ, cum & Consulum alter obiisset, alter verò ægram traheret animam, majestas Consularis imperii & totius Reipublicæ summa ad Aediles (seu Plebis illi fuerint, ceu putat *Rosinus l. c. pag. 1141.* seu Curules, ut placet *Pomp. Lato loc. alleg.*) decideret, teste *Livio lib. 3.*

§. XXX.

Unde non immeritò ab optimis quibusque splendor Aedilitatis quæsitus fuit. Inter illos qui magnificentissimè eam gessere magnique muneris loco fuerunt executi, eminent Paulus Aemilius, duo Crassi, Q. Mutius, P. Lentulus, Scaurus, L. Lucullus; (de quibus *Plutarch.*



*tarch. in vita Aemilii. Cic. lib. 2. Offic. p. m. 161. Plin. lib. 8. cap. 17. & 26. lib. 9. cap. 5. lib. 34. cap. 7. lib. 35. cap. 11. lib. 36. cap. 2. & 15. Plutarch. in vita Luculli & c.)* ut & Cicero, (cujus de sua *Ædilitate* verba adducta supra §. 15.) Pompejus, (de quo vid. *And. Dom. Floccum de Potest. Rom. lib. 2. cap. 13. p. m. 86.*) alique plurimi. Quorum omnium facta gesta que magna quoties celebrantur, toties splendorem jactitat *Ædilitas*, quæ tantis digna habita viris fuerit; Heroësque illi fortissimi, testaturi quasi, non ad eò incongruè Arab. عازف *Ædilem* pariter & *Tubicinem* notare, velut *tubicines* quidam *Ædilium Romanorum* encomium adhuc hodiè ebuccinant, & ultiores *Ædilitiæ* dignitatis laudes meditantibus nobis silentium imponunt.

---

## COROLLARIA.

### I.

Prudens nonnullas injurias contemptu optimè vindicat.

### II.

Qui de omnibus male judicat, haud exiguam, imprudentiam dicam, an malitiam? prodit.

### III. Stra-

III.  
Strategematibus in bello uti licet.

IV.  
In bruta non cadit poena.

V.  
Honorem appetere licet.

VI.  
Modestia juvenem quàm maximè com-  
mendat.

VII.  
Neminem studio offendere, sana ratio pa-  
riter atque Scriptura Sacra postulat.



00 A 6301

ULB Halle 3  
002 937 14X



88


V 17

Rehov





co  
mir  
nt  
ea  
on  
is.  
em  
erg  
n. 6  
A.  
cif  
eru  
utu  
7. 4  
eft  
ft  
nor  
M  
ej  
lig  
blu  
by  
an



34

82

כנר

DISSERTATIONEM HISTORICAM  
De  
PRISCIS  
ROMANORUM  
ÆDILIBUS,

*indultu*

*Inclutæ Facultatis Philosophicæ*

*in*

ALMA LIPSIENSI

d. 28. Maji Anno M DC XCII.

H. L. Q. C.

publicè ventilandam proponunt

PRÆSES

M. JOH. AUGUSTUS OLEARIUS,

Hal. Sax.

&

RESPONDENS

GODOFREDUS Kraul / Hal. Sax.

LITERIS GOEZIANIS.

*Excellenti  
Illustri Rectori  
H. L. Q. C.*

